

minime cognoscere vel eam irritam aut nullam fuisse aut esse declarare non deberetis neque de iure possetis, nec dicti domini mei super hoc coram vobis litigare aut experiri tenerentur eo quod nulla vobis aut praetacto domino archiepiscopo in hac parte iurisdictio delegata aut ordinaria competeat nec competere dinoscatur, vos tamen dicta exceptione repulsa contra deum et iustitiam omni ordine iudiciario praetermisso electionem praefatam et confirmationem ac omnia inde secuta revocando cassa et irrita sententiando pronuntiastis. Unde ego Nicolaus procurator praedictus nomine procuratorio a praedictis repulsione et sententia si sic dici mereatur, per quas dictos dominos meos et me sentio fore gravatos, in his scriptis ad sanctam sedem apostolicam provoco et appello et apostolos peto primo instanter secundo instantius tertio instantissime a vobis mihi dari, subiiciens me et dominos meos antedictos ac statum causae praesentis protectioni sedis antedictae. Qua appellatione lecta et interposita dictus dominus officialis dixit, se apostolos dicto procuratori die continue et immediate subsequenti daturum. Acta sunt haec Caluis in curia habitationis praedicti domini officialis anno indictione die mense hora et pontificatu quibus supra praesentibus honorabilibus viris et discretis domino Johanne plebano in Nova civitate Berneburch et domino Nicolao Vlechtinghe perpetuo vicario ecclesiae sancti Sebastiani Magdeburgensis, Paulo de Barboy clerico et Petro Joh. notario eiusdem officialis clerico Magdeburgensis et Pragensis diocesum testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Martini clericus Magdeburgensis diocesis publicus
 notarii. imperiali auctoritate notarius etc.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.

No. 129. 1369. 20. Dec.

Der Official Nicolaus von Giezin zeigt dem Pabst Urban V. an, dass und warum er der eingerückten Appellation des Procurators des Thomasklosters nicht habe deferiren können.

Sanctissimo in Christo patri et domino domino .. Urbano digna dei providentia sacrosanctae ac universalis ecclesiae summo pontifici Nycolaus de Giezin .. vicedominus ecclesiae et officialis curiae archiepiscopalis Magdeburgensis iudex seu commissarius ad infrascripta a reverendissimo in Christo patre ac domino domino Alberto sanctae Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopo principali a sede apostolica delegato subdelegatus devota pedum oscula beatorum. Ad vestrae sanctitatis praesentibus deduco notitiam. Nam cum in causa, quae inter religiosos viros .. priorem et .. conventum monasterii in Lipezk canonicorum regularium ordinis sancti Augustini Mersburgensis diocesis ex una et honorabilem ac religiosum virum dominum .. Vhricum de Maltiez ipsius monasterii in Lipezk praepositum de et super executione cuiusdam sententiae privationis per reverendum in Christo patrem dominum .. episcopum Mersburgensem ad instantiam dictorum .. prioris et .. conventus contra eundem dominum Vhricum .. praepositum latae et per sedem apostolicam cum clau-